

strum fert fructum intra basin foliorum exteriorum; ut eandem delineavit Dillenius; at vero squamam floris cordato-sagittatam a latere inferiore folii non vidit; nec antheras observavit; folia enim interiora plantæ intra basin gerunt antheram magnam ovatam, polline copioso refertam, habent et flores similes femineis a latere inferiore folii, quæ omnia delineabo in Itinere Scanico.

*Muscus norvegicus umbraculo ruberrimo* examinatus est a D. Montin\* qui hoc anno petiit Lapponiam, caret absolute omni calyptrâ, adeoque Sphagni genuina species est.

DD. Kalm † qui Canadiam petiit et nunc in Canadiâ versatur misit plusquam multa semina. Ego primo vere colligam ex his pro te, ut habeas eadem. Redibit D. Kalm proximo vere cum plantis siccis et vivis, modo vivat. Utinam haberet secum plantam siccam Loniceræ herbacæe repentis Canadensis, quam tu habes in horto parisino; vellem lubenter videre, nonne hæc planta species esset Linnææ.

D. Hasselquist ‡ d. 2 Augusti solvit Stockholmiæ versus Palæstinam, a quâ si salvus redeat mihi multa promitto, quum solius botanices causâ istam regionem adiit.

\* *Splachnum rubrum*. — Laurentius Montin, Linnæi magistri exemplum et consilium secutus, plagas boreales investigavit, ejus itinerarium ex epistolâ ipsius (Dec. 1749) ad Bernardum de Jussieu excerpere licet. “*Ineunte nimirum anni hujus vere, iter, suasore et auctore archiatro nostro Linnæo, in me suscepi Lapponicum, ut naturalia dissitarum provinciarum colligerem, atque in ea ulterius inquirerem. Laves itaque Upsalicenses reliqui; Westrobotniam peragravi; Lapponiam petii Lalensem; circa initium æstatis ad alpes perveni, quas mox conscendi iter Norvegiam versus dirigens: rariora acquisivi; nova licet paucissima descripsi; tandem, Norvegiâ ad mare usque Septentrionale perlustratâ, Westrobotniam repetii; ultimâ ibi æstatis particulâ jucunde transactâ, Upsaliam spoliis tam vivis quam alias conservatis, finito cum mense Septembri itinere, redux factus sum.*” Litteras comitabatur herbarium plantarum a Montino collectarum, pro quo recepto Bernardus infra grates agit, quodque typis Floræ Lapponicæ Linnæanæ pretiosum servamus.

† Petrus Kalm Linnæi discipulus, jam tunc itineris per varias Suecicæ provincias relatione, nec non doctrinâ sub magistro summo comparatâ, insignis, ipso impellente et commendante, e patriâ Dec. 1747 in Angliam et inde in Americam transit, ubi, castris Philadelphicæ positus, provincias boreali-americanas a Canadâ usque ad limitem Pensylvaniæ australem (Linnæus tamen in litteris et Virginiam pluries nominat) investigando peragravit per tres annos, post quos redux sedem Abœ, professor patrocínio Linnæi factus, fixit, ibidemque itineris rerumque collectarum et observatarum historiam in tribus voluminibus (*Resa til Norra America. 1753–1761*) edidit, serius a J. R. Forster Anglice translata (*Travels into North America; containing its Natural History, and a Circumstantial Account of its Plantations and Agriculture in general. 1770–71.*)

‡ Fredericus HASSELQUIST discipulus alter Linnæi, verbis incitatus magistri qui de indagacionibus in Oriente et præsertim in Palæstinâ, ad illustrandam Scripturarum Sacrarum historiam naturalem, instituendis frequenter et facunde disseruerat, hoc iter, etsi valetudo et pecuniæ vix sufficiebant, suscepit; primo Smyrnam, Magnesium, Natoliam, montem Sipylum peragravit, dein Ægyptum, Palæstinam, et Syriam, tum Cyprum, Rhodum, et Chium ipsulas, et denique Smyrnam redux ibi, tabe pulmonum consumptus, die 7<sup>a</sup> Febr. anni 1752, trigesimum agens, occubuit. Quæ collecta scriptaque reliquerat, a creditoribus detenta, ægre nec nisi per munificam reginæ opem, patriæ restitui potuere, et Linnæo cujus operâ serius apparuit *Fr. Has-*